

2413

A S C E T I C I

2414

Quam diu rapaces istos lupos paciemur et tollerabimus qui medici esse debent et non sunt &c. Philippicam dicas potius quam Prophetiam. Neque eam in Edit. *supra cit.* reperio. Utut vero utraque haec lacinia ad *Hildegardem* spectet, aut, quod credibilius, aevo sequiore illi adsuta sit, causam certe eorum, qui tardius *Job. Hussum* secuti sunt, egregie adjuvant. Unde et Codicem nostrum in *Bohemia* scriptum fuisse, evincunt partim quaedam lingua gentis Textui et Margini minio adpersa, puta: *Pomoz pane wiernym*, i. e. Adjuva Domine Fideles. *Zla wiecz borzy ty kostely*, Mala res diruit has ecclesias &c. partim *Litterae* publicae *Simonis de Tiffnow Rectoris Universitatis Studii Pragen.* quibus involutus est, quibusque mox dictus Rector occasione litis inter *Andream plebanum S. Jacobi in Praga et Blasconem ac Johannem Scholares Universitatis* conqueritur de Archiepiscopo *Sbincone* in Jura et Privilegia Academica involante, dictamque litteram ad se evocat. Notae chronologicae abscissae sunt; veruntamen ex anno emortuali *Sbinconis de Hazmburg*, qui est 1411. et anno 1409. quo *Wenceslaus*, teste *Balbino P. I. Boh. doctae Sect.* 17. *Simonem Tiffnoviensem* Rectorem nominavit, de harum Literarum tempore statui potest. Quamvis autem idem *Balbinus Sect.* 22. e Cod. *Mf. Philosophicae* Facult. ad diem 9. *Maji* narret *Simonem a Wenceslao* tan-

tum Decanum ejus Facultatis constitutum fuisse, non tamen repugnat, praesertim in iis turbis, eum eodem anno etiam ad supremum Magistratum pertigisse. Id, quod *Litterae* nostrae docent.

DCXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 9^o XV. Folior. 367. f. nitide scriptus continet varios *Tractatus Asceticos* et *Mysticos* descriptos a *F. Michaele Stainbrunner O. S. B. ad S. Crucem in Werdea* (Donauwerd) professore intra annos 1482 et 1490. ut singulis Tractatibus diligenter subnotatum est, quorum quilibet insuper *Tabula* sua sive *Indice* gaudet. *Primus* igitur agit de *Revelationibus S. Mechtildis*, inscribiturque *Specialis gratie dei sic a domino denominatus*. Constat *Libris* V. in *Capita* distributis, neque videtur, ut censebat *Fabricius*, ab ipsa hac Virgine Sanctimoniali lingua primum vernacula exaratus, sed latine conscriptus ab homine forsitan, qui ei a confessionibus erat. Ita enim inter alia L. II. c. ult. nobis fol. 50. p. 2. legitur: *Iste liber fere totus a persona sibi familiari cui secreta sua reuelare consueverat ita conscriptus est, ut hec dei ancilla ignoraret*. Prodiit primum latine in Corpore variarum *Visionum Paris.* apud *Henr. Stephanum* sen. 1513. f. Germanice ex *Coenobio Thierbaubtensi* 1597. 4. De *Mechtilde* plura apud *Oudinum* T. III. col. 239.

G g g g 3

Secundus

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4224

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2415

C O D I C E S

2416

Secundus Tractatus fol. 83. continet Revelationes S. Trudae sive Gertrudis, quae Sorori Mechthildi usque ad an. 1290. supervixit, in Libros. V. divisas. Germanice eas a Gertrude scriptas, et a J. Justo Landsbergio Carth. latine redditas vult Fabricius, sed jam Sec. XV. latinas fuisse vides. Nobis ex Prologo fol. cit. inscribuntur: Memoriale habundantiae diuinae suauitatis, et Legatus diuinae pietatis; in impressis vero, quae Oudinus, Fabricius, alii adferunt, Insinuationes divinae pietatis adpellantur.

Tertius Tractatus fol. 284. continet Gebenonis Prioris in Ebrbach O. S. B. circa an. 1220. Epitomen Vaticiniorum Hildegardis fundatricis et magistrae monasterii sancti rupperti apud pingviam (Bingen) ✠ 1178. Praeit Gebenonis epistola magistro reinmudo (sic) scolastico et magistro reinhero canonicis sancti Stephani in maguntia, in qua Excerpta haec sua speculum futurorum temporum siue pentacronon (non pentachordum, ut est apud Fabric.) sanctae Hildegardis vocari posse ait. In Prologo sequenti scopum scriptionis suae aperit, everfionem videlicet fabularum de Anticristo, quem eo tempore quidam propediem nasciturum, alii jam natum adfirmabant; designat vero tempus suum his verbis: Sciendum autem est, quod in hoc presenti anno qui est M°. CC°. XX°. ab incarnatione domini de tempore primo evoluti sunt anni centum viginti. Succedunt

dein Vaticinia, quibus immorari non lubet, quaeque, ut opinor, lucem primum videre barbaro vocabulo Scivias inscripta in Collect. supracit. apud H. Stephanum. Teste Bern. Pezio in Thes. Anecd. T. III. P. 3. col. 629. msptum habetur Opusculum istud in Coenobio Benedictoburano. An vero Codici illi, velut nostro, adhaereant Epistolae aliquae ad Hildegardem cum ejus responsis, item ea, quae in S. Benedicti Regulam scripsit, vir doctus non expressit. Edita sunt tamen utraque in Opp. Hildegardis Colon. 1566. 4. posteriora etiam in Bibl. PP. Lugd. T. XXIII. p. 590. recepta. Adi et Codd. proxime praecedentes.

Quartus Tractatus fol. 348. hanc rubricam praefert: Incipit Tractatus quidam de thurcis prout ad presens ecclesia sancta ab eis affligitur collectus diligenti discussione scripturarum a quibusdam fratribus predicatorum ordinis in capitulo generali rome celebrato anno 1474. &c. Descripsit hunc Tractatum Coenobita noster supracit. ut in calce adnotavit, anno M°. CCCC. LXXXII. adeoque uno anno tardius, quam Norimbergae per Conr. Zeninger in 4. typis excuderetur, quam editionem principem habeo. Adspersae sunt in Cod. nostro notulae quaedam historicae alia manu, sed exigui momenti; ipse vero Stainbrunnerus brevem subjunxit Commentarium anno, ut ait, 1483. finitum, excerptumque potissimum ex Revelationibus Birgittae

2417

A S C E T I C I.

2418

gittae et Catharinae Senensis, item Carthusiani cujusdam circa Confluentiam.

Quintus Tractatus fol. 364. hoc titulo est: Incipit liber beati Methodii episcopi et martiris episcopi ecclesie paternensis, quem beatus Jeronimus in opusculo virorum illustrium commendavit. Exemplar graecum Bibl. Caes. indicavit Lambecius T. IV. p. 201. edit. Kollar. col. 444. Latine prodiit cura Wolfg. Aytingeri Aug. Vindel. per Joh. Froschauer 1496. 4. quam editionem secutae Basileensis per Furter, et Parisina per Mercatorem 1498. 4. et aliae; ut adeo mirer Wolfg. Lazium, qui in edit. Vindob. 1547. 4. Vaticinium istud a se repertum adferat. Vide, si lubet, quae ad Editionem hanc de Opusculo Methodio Patarense supposito, et ad Patriarcham Cplitanum Seculi IX. pertinente in Wiens Buchdruckergesch. p. 426. adnotavi.

Codicem nostrum ambiunt Membrae duae *Collectas* quasdam *Hebdomadae sanctae* Sec. ut opinor, XII. exaratas complexae.

DCXXXIII.

49 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 153. f. max. per duas columnas litera crassiuscula exaratus, et auro coloribusque illuminatus complectitur *Arnesti* seu *Ernesti de Pardubicz primi Pragensium Archiepiscopi* an. 1364. ad Superos digressi Ma-

riale, seu, ut recentiori Matthaei Mauchteri Bibliothecarii Caes. manu praenotatum est, Librum de praecellentibus et eximiis SS. Dei Genetricis Mariae supra reliquas creaturas praerogatiuis &c. Praecedat Tabula hoc initio rubro: Tabule subsequenti. Respondent numeri. per librum scripti equaliter respondentes. literis capitalibus &c. Opus ipsum sic inchoat: Exordium salutis nostrae dicit Beda fratres karissimi intenta curemus aure percipere &c. Est vero divisum in VI. Ordines scil. Coelestium Corporum, Elementorum, Plantarum et Arborum, Animalium, Artefactorum, et Moralium ita, ut per CL. Capita recenseantur Tituli seu adpellationes, quae ex singulis hisce ordinibus Mariae conveniunt, puta Coeli Empyreii, Aeris, Arboris, Apis &c. eruditione multa, stilo, ut Cl. Adami Voigtii Effigier. Viror. erudit. Bob. et Morav. P. I. Praegae. 1773. p. 5. 8. verbis utar, florido, ac supra seculi genium eleganti. Ultima Operis sunt: et ita per omnes plateas ierusalem in eternum et ultra cantabimus. alleluia. Amen. Amen. Amen. Fusior quidam Index Codicem terminat, cujus fata paucis dabimus. Fuit is quondam Collegii Canonorum Reg. Glacensium, ut adpicta fol. 3. illius Insignia testantur. Obtigisse illi in peculium ab ipso B. Autore, simulque fundatore veri speciem habet. Transierat hinc in Bibliothecam Caes. Pragenam. Ex Bibliotheca Sac. Caes. Majestatis